



**Jubilæum Sæculare Ecclesiæ Catholicæ Per Septendecim  
Sæcula Militantis & Triumphantis Contra Idololatriam,  
tyrannos, hæreses, schismata, errores, & scandala**

Per Septendecim Sæcula Militantis & Triumphantis Contra Idololatriam,  
tyrannos, hæreses, schismata, errores, & scandala ; Ex Annalibus  
Ecclesiasticis collectum Pro Xenio Oblatum Academicæ Sodalitati  
Dominorum B. Mariæ Virginis Annunciatæ Herbipoli, Anno ...

**Herbipoli, 1699**

Decas I. à Christo nato ad annum ejus 10.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64743](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64743)






# SÆCULUM PRIMUM,

Continens res memora-  
biles Ecclesiæ, quæ contigerunt  
ab ortu Christi usque ad  
annum 100.

## DECAS I.

✻ à Christo nato ad annum ejus 10. ✻  
I.

 Ctavo à nativitate Die, Ka-  
lendis Januarii, JESUS Chri-  
stus ut se verum Abrahami  
filium profiteretur, legi cir-  
cumcisionis se subjecit & pre-  
tiosi sanguinis sui rubricâ Æræ Christianæ  
initium, insignivit.\* Sexto exinde die Ba-  
lahami nepotes, Dynastæ tres, seu Reguli  
stellâ Duce venêre Hierosolymam & inde  
Bethlemum, ubi in JESU Infante Deum ve-  
rum adoraverunt,\* Moniti per somnum ut  
aliâ in patriam viâ regrederentur, callidam  
Herodis crudelitatem eluserunt.\* Qui  
delusum se à Magis intelligens pueros om-  
nes

A

nes



nes ante biennium natos interimijussit: ad Infantem autem, quem exterminare nefandâ cæde proposuerat, sanguinariæ manus tyranni non pertigerunt, quia jubente Angelo in Ægyptum abductus erat.\* Deo postmodum immane infanticidium ulciscente, pœnas pro innocente sanguine fuso meritas persolvit. Mirâ enim morborum varietate ac fœditate cruciatus, & â suis derelictus, ex turpissimo corpore sceleratissimam animam efflavit.


Successit Herodi Archelaus regni hæres ex testamento Patris, non tamen absque effusione sanguinis. Cum enim Judæos in defunctum Herodem graviter conviciis tumultuantes ob cædem iis allatam, qui Aquilam auream è templi foribus deturbaverant, verbis placare non posset, præmissos exercitu tria millia seditiosorum trucidavit. Quapropter Romam ad Augustum navigare compulsus, coram eo diu cum Antipa fratre de successione contendit.

\* 2. Dirempta tandem lis est Romæ, & ditio Herodis in duas partes divisa, quarum una cessit Archelao, non jam Regi, sed Tetrarchæ, alia inter Philippum & Antipam fratres ejus distributa. Declaratus igitur Tetrarcha Judææ Archelaus circa anni hujus finem in Judæam revertitur, cui Judæi juramento se obligant.



✱ 3. 4. 5. 6. 7. 8. ✱ Putant aliqui Josephum Infantem JESUM anno tertio reduxisse in Palæstinam ex Ægypto, quibus non videtur ratio ob quam in Ægypto diutius retentum esse affirmant, Baronius autem reditum Christi ex Ægypto statuit anno ejus octavo.

✱ 9. & 10. ✱ Sanctissima Familia habitat in Nazareth, unde Christus dictus est Nazarenus, adhæsitq; illi hoc nomen usq; dum in Christum credentes, CHRISTIANI appellati sunt, tunc enim NAZARENI nomen relictum est illis, qui simul Christum colebant & legalia quoque vetera retinebant, neque Judæi, neque veri Christiani. Impius Porphyrius, & Julianus Apostata non aliter Christianos, quam Galilæos appellabant.



## DECAS II.

✱ Ab anno 10. ad Annum 20. ✱

12. CUM Christus jam esset duodennis, deductus est à Parentibus Hierosolymam ad festum Paschæ, quibus nescientibus ibidem per triduum remansit. Non videtur autem credibile, quod pij aliqui putant, Christum hoc triduo mendicasse, quia lege divinâ prohibitum antiquitus videbatur Judæis mendicare.

A 2

Re-